Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 2dus

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

§. 2dus

de Juramento.

Conclo 1. Juramentum est invocatio Divini testimonii ad faciendam fidem vel promissionem firmandam. requiruntur ergo ad Juramentum intentio iurandi et locutio qua Deus in testem vocatur. Si unum ex his duobus absit, iuramentum non erit. Dividitur autem iuramentum

1. In solemne et simplex. Solemne fit cum certa Juris formula, ut, coram Notario, Judice, tactis SS. Evangeliis. Simplex quod non habet illam Juris formulam.

2. In Contestationem et Execrationem seu Imprecationem. Aliud est, quod fit per simplicem contestationem. Aliud per imprecationem.

3. In Assertorium et Promissorium. Assertorium est quod adhibetur ad aliqua praeterita vel praesentia affirmanda vel neganda. Promissorium est, quo utimur

ad aliquid futurum affirmandum.

4. In Absolutum et Conditionatum.

Illud quod fit cum conditione. Aliud quod fit sine conditione.

2°. Materia Iuramenti debet esse licita et honesta quia à Deo irrogatur iniuria adducendo eum in testem rei turpis et illicitae. Unde Res indifferens, improbabilis, impeditiva maioris boni, seu contraria divinis consiliis, non est materia Iuramenti nec iuramentum de tali re quemquam obligat. Unde Colliges

1. In his et similibus: in Veritate, in rei veritate, in fide mea, per fidem meam, fide boni viri, boni Christiani vel sacerdotis, vel in fide bona, vel ut Christianus, Religiosus, vel in conscientia, vel per meam conscientiam non est iuramentum, quia qui sic loquuntur non intendunt iurare sed significare se loqui ex veritate fidei vel veritatis quam vir bonus in dictis suis adhibere debet. Si tamen per fidem intelligatur fidem Catholicam, erit iuramentum. Item dicere: coram Deo loquor

Deus scit ita esse, Deus videt me vera di-
cere, videt conscientiam meam, vel si per modum
narrationis dicantur affirmando Deum ita scire
non est iurare, si autem invocative dicantur,
intendendo Deum inducere in testem eius, quod
dicitur, est iurare. Iurare per falsos Deos,
ni fiat ex conscientia erronea non est iuramen-
tum, neque cum aliquis dicit per Deum,
vel per Corpus Christi, non intendens De-
um invocare in testem.

2. Sufficere ad Iuramentum tacitam
Dei invocationem, ut, quando quis rogatus,
ut iuret, manu tangit Crucem, vel librum
Evangeliorum. Item si subscribat aliquam
Scripturam iuramentum continentem aut Iu-
ramentum fiat per creaturas, in quibus
elucet bonitas Dei vel quatenus ordinantur
ad Deum, vel quatenus Deus in ijs honeratur.

3. Ad iuramentum non requiri verba de-
terminata, sed sufficere, ut quis adducat
Deum in testem quibuscunque verbis. Attamen
non tenetur iuramento, qui solum dicit: iuro

c. iuro me facturum hoc. Nam Deum non adducit
in testem. aliud est, si dicat animo iurandi
et adducendi Deum in testem.

4. Iuramentum factum contra legem, quae
primario et immediate respicit favorem
et commodum personae privatae obligare
modo non vergat in praeiudicium tertii; quia
hoc lex immediate fertur in favorem priva-
tae personae quae potest cedere Iuri suo
absque praeiudicio tertii. Et si cedat Iuri
suo per iuramentum, validum erit et obli-
gatorium.

5. Promissionem c. iuramentum factum
contra prius iuramentum c. contra votum vel con-
tra priorem promissionem validam non obligare.
quia est de re, quae sine peccato servari non
potest: gesta tamen contra obligationem iuramenti
valida esse, nisi aliunde sint irrita: si
matrimonium contractum contra Sponsalia al-
teri iurata est validum.

6. Si quis ex levitate iuret sine animo iu-
randi non obligatur, ex vi iuramenti coram
Deo; quia non iuravit: si tamen inde eveniat

damnum proximo, tenetur resarcire. imo in foro externo cogi potest ad servandum iuramentum ob praesumptionem veri iuramenti. Qui iurat animo seriaque intentione iurandi, sed non se obligandi, obligatur, quia obligatio est inseparabilis à iuramento promissorio. Similiter qui iurat absque animo implendi, obligatur, quia in gratuitis animus non solvendi non tollit obligationem. Peccat autem mortaliter, qui cum iuramentum revocabiliter exigitur, iurat cum animo non iurandi vel se non obligandi vel non adimplendi; quia intercedit gravis deceptio, quae repugnat usui et fini iuramenti valde necessario rebus humanis. Qui vero iurat cum animo non implendi, et postea non implet, committit duplex peccatum; quia tunc duplex requiritur veritas in iuramento promissorio, praesens et futura hic utraque deest.

7. Iuramentum appositum contractui cui error et dolus causam dedit est editum

si sit error circa substantiam rei, uti secundum multos etiam si sit tantum circa qualitatem rei substantiam promissionis aut contractus v. g. qui iuramento promisit puellæ nuptias putans esse virginem si postea illa sit non esse non tenetur Juramento.

8. Juramentum promissorium metu gravi extortum etiam si iniuste obligare secundum multos, modo factum sit animo se obligandi, et de re licita. Sic qui promisit iuramento latroni pro vita conservanda centum florenos tenetur solvere: ubi tamen solvit, potest repetere in iudicio. Malitia tamen est, nec iudicio, petere relaxationem iuramenti a superiore. Qui iuravit se rediturum ad carcerem quamvis iniuriosum, tenetur secundum multos redire etiam si fuerit se iniuste conjectum: secundum alios autem non tenetur, si carcer sit iniuriosus, tyranni scilicet iudicis non competentis, vel non procedentis secundum ordinem Juris, quia hoc esset quodammodo occidere se, quod non est licitum.

Conclusio 2. Juramentum est licitum si fiat in Veritate, in iustitia et in iudicio. Probatur. Veritas iuramenti consistit in eo, ut id, quod iuramento asseritur, existimetur esse verum ab eo qui iurat. Justitia ut fiat de re licita et honesta: Judicium ut fiat non in necessitate et reverentia. Ubi est notandum

1. Masculos ante annum decimum quartum et puellas ante duodecimum ex rescripto Juris non admitti ad iuramentum solenne in iudicio in causis civilibus: in criminalibus vero ante vigesimum quintum repelluntur a iuramento emittendo in iudicio perinde quia praesumuntur periuraturi. Interdicitur etiam Sacerdotibus et Praelatis in Judicio sine gravi causa et necessitate; nec Clericis minoribus licet iurare coram Judice seculari sine licentia Episcopi in actu testificandi et quando coguntur a laicis iurare coram se tanquam suo superiore, vel quando coram eo qui non est ipsorum Superior iurant de calumnia.

2. Juramentum potest praestari per nuntium vel procuratorem, modo procurator speciale mandatum habeat ad iurandum, et is, cuius nomine praestatur iuramentum, obligatur. Si iusta causa subest petendi iuramentum, licite exigitur ab eo qui creditur periuraturus, quia non petitur nec intenditur periurium, sed iuramentum quod alter licite potest emittere absque mendacio.

3. Qui habet iurandi consuetudinem et mentiendi peccat mortaliter, si talem consuetudinem non evellere et remedia debita non adhibere conetur, quia est in proxima occasione peccandi. Si tamen habeat firmum propositum emendandi potest absolvi.

4. Qui violat iuramentum promissorium in re magni momenti peccat mortaliter. Qui emisit iuramentum comminatorium de infligenda alicui poena, quam iuste potest infligere, tenetur iuramentum adimplere, modo eius adimpletio non sit impeditiva maioris boni aut non sit sublata causa propter quam adimpleri debeat, seu si causa variata est. Superiori minatus

cum iuramento ex passione et ira seu aus vin-
dictae inordinatae punire, non tenetur servare
iuramentum, quia ut sic non habet materiam bonam.
Item qui iurat non alienare res Ecclesiae, nihil-
ominus potest in eius utilitatem aut rem modicam ali-
enare servatis aliisque servandis.

5. In dubio iuramentum ita explicandum
est, ut quantum fieri potest minus obliget, serva-
ta tamen verborum proprietate. Unde iuramentum
vel votum non ludendi illicite de ludo illici-
to, non censetur iurantem voluisse se obligare
ad abstinendum etiam a licito.

Quaestio 2. Obligatio iuramenti tollitur
mutatione materiae, irritatione, dispensatione, relaxa-
tione seu condonatione et commutatione. Vide
quae diximus supra de Extinctione voti.
Hic obiter nota quomodo irritatio, dispensatio
commutatio et relaxatio inter se differant.
Nam irritatio et dispensatio pura tollunt totam
obligationem. Commutatio semper relinquit
obligationem faciendi aliquid loco illius quod
remissum fuit. Irritatio provenit a potestate
dominativa et mere saeculari. Dispensatio
fiunt et commutatio facta iuriter a iurisdicti-
one spirituali. Relaxatio solum ab eo fit per se

loquendo uni facturo est iuramentum. Per Annos o-
nempe propter bonum commune, l. delictum hominis cui iura-
tum est, l. iniustum metum aut iniuriam iuranti
illatam aut incertitudinem, utrum res iurata
sit licita, etiam à Papa l. Episcopo potest relaxa-
ri Juramentum. Juramentum absolutum castitatis
Religionis, peregrinationis hierosolymitanae, Ro-
manae et Compostellanae est plurimum Papae
reservatum. Si tamen non includat promissionem
Per factam et merum purumque iuramentum est
etiam Episcopus potest dispensare, non tamen sine ratio-
nabili causa, quae semper est elicienda l.
ex gravitate operis et imbecillitate iurantis, l.
ex diminuta operis utilitate l. respectu boni
communis. Nam dispensatio sine causa non valet
in foro conscientiae. Quodsi tamen causa non sit suf-
ficiens ad dispensandum potest iuramentum par-
tim dispensari, partim relaxari, partim com-
mutari pro ratione causae.

Conclusio 4. Periurium est iuramentum carens
veritate. Est peccatum mortale; etsi interpositum
sit Juridice et solenne incurrunt poenas
Canonicas et civiles ni ob ius invincibilis